

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 3 (Precipitavit
nos in lacum miserie...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 3 (Precipitavit
nos in lacum miserie...)*

1248

Precipitavit nos in lacum miserie Fortune volucio repentina, quos tenet mortis regio spaciose libertatis et speciose grada destitutos, ubi terribilis hostium furor in nostram perniciem libere debachhtur, qui bella pro pace gerunt et mittunt, pro fide perfidiam colunt, iniusticiam pro iusticia celebrant et pro pietate seviciam moliantur. Ecce populus gencium, qui ambiulat in tenebris, ecce generacio prava ac perversa, cui Deus non prestitit intellectum, ecce contumax gentis rebellio, que nec Deum timet nec vos suum verum dominum veretur. Quis unquam vidit racionabilium animalium species racionem et animas non habentes? Certe, si veterum librorum volumina revolvantur, quorum testimonia nostris sensibus gesta vetusta renovent et preterita representent, si pensetis moderni temporis nacionibus universis, extendamus eciam quoadlicet ad postera coniecturam: Ligurum ignobile volgus in errore tam devio cernet et decernet augustalis excellenda singulare. O barbare gentis predyra tyrannides, o genimina viperarum, o flagitiosa provincia, sentina putredinis, mater omnium viciorum, heu miseri, quantum demeruimus apud Deum, quos absorbit pelagus tam profundum. Utinam, serenissime Cesar, omnes essemus mortui, quos eduxisti de terra dulcedinis in desertum, ubi fere tam fere devorant carnem nostram impulsu demoniaco, precipiti lapsu corruimus in infernum et utinam nutu divino ab inferis resurgamus! Vere quidem infernus est iste, quo nullus atrocior, et ubi ferro, peste, fame, vinculis, algore, calore ac aliis multis martiriis cruciamur. Sub quibus iam nostra procul dubio corpora defecissent, nisi quod ea corroborat sanctissima sedes et unica spes salutis, quarum ad vos alteram gerimus et in vobis per alteram respiramus. Nam quantumcunque

crudeliter in nos innumere pene desevariant, si denudetur vobis ipsa substantia veritatis, animadverso salubriter, quod pro vobis hec patimur, sicut tormenta pro Christo martires subierunt, ita nos nuditas induit, fames reficit, sitis potat et amaror convertitur in dulcorem. Quia verumtamen, excellentissime principum, ex angustiis nostris vobis non surgit honor, utilitas non accrescit et vos estis benigni, nobis in hac parcite, quesumus, carceris nostri causa nec ullam speramus aliunde salutem. Expedit et interest vestra, quod ab hostium unguibus avellatis vestros servulos multo affectos tedio et squalore diutini carceris maceratos, ut per vestram potendo gratiam et potenciam graciosam adiciant, ut resurgant. Clament ad vos suorum dentium stridor, oculorum fletus et gemitus animorum et excitent in vestris visceribus pietatem. Operetur excelsa dextra vestram virtutem et eos educat in lucem ab abditis tenebrarum. Modicum quidem potentia vestra putabit, modicum sapientia, quarum vobis est immensa mensura, nos tamquam a mortuis suscitare, quibus, si diffinitis, quidquam exprimitur, omnes virtutes tributarie subsunt, ut votum vestrum devote in singulis exequantur.